

In omnibus peccaverunt ad huc. Pl. 77. 32. Israelitarum peccatum post acceptum manna his verbis exegerat regius Plaltes. Postquam Angelico cibo pasci, protectis, roborati &c. Novarinus Agn. Euchar.

§. XXX.

Communio est motivum virtutum, sanctitatis &c.

Sua autem minor est numerus; ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum. Ex. 12. 4. Theodoretus hic: hoc precepit Deus, ut ergo pauperes misericordiam eos doceret. Die Jovis Sancto pauperibus, & captivis bene fit: Novarinus Agn. Euchar.

Comeditis festinanter. Ib. Quid ostendit, ne signis, aut remissis, in operando apparatus, qui Christi particeps factus sit; sed diligentiam, & ardentem sedulitatem in iis, quæ putet sibi profutura, adhibeat. Cyrillus Alex. Glaphyror. in Ex. 2.

Qui manducavit me, & ipse vivet propter me. Jo. 6. 58. Id est, ad honorem, & gloriam meam, ordinabit vitam suam. Dionys. Carthuf. hic.

Miscellanea.

Sequimini: sitque inter vos, & arcem, spatium cubicorum duorum millium. Jos. 3. 3. 4. Cur tam à longe? propter reverentiam Arcæ, inquit Lyranus.

Erant autem lampades copiosæ in Cantaculo. Act. 20. 8. Cur tanta lampadarum copia hic memoratur? cum de illis nulla fiat mentio, quando Petrus venit in domum Mariæ. Marci Act. 12. 12. Resp. aderat ibi divinæ Euchariæ Sacramentum, ut patet ex v. 7. ad frangendum panem. Syr. & Aug. ep. 86. Euchariæ. Sylvestra hic. q. 2.

Ipsè Jesus conviya, & convivium: ipse comedens, & qui comeditur. S. Hieron. ep. 150.

Accedens ad Communionem, non exparis manum volis accede, neque cum disjunctis digitis; sed sinistram, velut sedem quandam sub cæcis dextere, quæ tantum Regem suscipiuntur est; & contava manu suscipe Corpus Christi, dicens Amen. S. Cyrill. Jerof. Catech. myltat. 7.

B. Angela de Fulgino vidit Christum in Euchariam cum societate Thronorum. In vita.

TITULUS X. EXAMEN CONSCIENTIÆ

Generale.

§. I.

Symbola, & Similitudines.

Collegit ergo in agro usque ad vesperam; & qua collegerat, vasa adiens, & excutens, invenit hordei tres modios. Ruth 2. 17. Quid hoc sibi vult? quam te monere constantia in bonis tuis exercitiis, usque ad finem diei, totius scilicet vitæ tenenda; instituendo semper vesperi de eis examen. De Ponte de perfect. Christiani hom. tr. 2. c. 11. §. 2.

Consideravit semitas domus sue. Prov. 31. 27. Vatablus: specularum statuum domus sue. S. Greg. 35. moral. cap. 15. per hanc considerationem semitarum, id est, actionem, accipit examen conscientie: semitas, inquit, domus sue considerat: quia cunctas conscientie sue cogitationes subtiliter investigat.

Tempus putationis adventit. Cant. 2. 12. Sept. tempus scilicet. Oportet quotidie certum designare tempus, ad putandos omnes defectus illo die commissos; tunc tibi dicito: tempus putationis adventit; examinando districte, quid cogitaveris? dixeris: feceris? De Ponte in Cant. hic Exh. 19. §. 4.

Manus meæ stillaverunt myrrham &c. Cant. 5. 5. Tunc manus sponsi myrrham stillaverunt, & digiti, pleni sunt myrrha electa; cum non modo promiscue bona agimus, sed cum singulas actiones nostras, dictaque ac facta omnia, sigillatim recensemus, diligentissimeque discutimus. Philo Carpathius hic.

Præius sedens computat. Luc. 14. 28. Sedere illud, est considerare intrâ se secreta conscientie sue. Sedebit solitarius, & tacet. Thronor. 3. 28. Computare, est providere per sollicitam considerationem. Unde Glossa: omne, quod agimus, prævenire per studium considerationis debemus. S. Bonav. in Luc.

In se reversus. Luc. 15. 17. Extra se fuerat, qui ad se revertetur. Redite prævaricatores ad cor. Redit ad cor, qui per compunctionem male actorum in seipso reviviscit, & discutit conscientiam suam: quia propria voluntate sua, atque perversa recessit à Deo; & penam, quam justè meretur, agnoscit. Simon de Cassia l. 8. hic.

§. II.

Motiva Examen faciendi.

Indicabo tibi, ò homo, quid sit bonum utique facere iudicium. Michæ 6. 8. Revertere ad te, ò homo. In te quare accusatio-

nem, in te quare defensionem, in te quare iudicium; inò tu esto accusator, & defensor, & iudex. S. Fulgentius hic.

An non codicem domi habes, in quo quotidiana rationes scribas? habet item codicem in conscientia, & quotidiana peccata scribe. Verbi gratia: cum in lecto tuo jaces, nec quicquam est, qui tibi negotium faceat; antequam somnus obrepat, libellum in medium producat, & peccata tua tecum reputa, dicens apud teipsum: numquid hodierno die, vel sermone, vel opere, peccavi? S. Chrysof. in Pl. 50.

Rationarium nobis faciamus eorum, quæ accipimus, & quæ expendimus; quidnam utiliter, & bene locuti simus; & quod otiosum verbum protulerimus. Sanct. Chrysof. t. 1. homil. 4. in Genes.

Scrutentur suam quisque conscientiam, & rationem examinent; & consideremus, quid in hac hebdomada probè actum sit? quid in alia? & quale augmentum fecerimus ad sequentem? quas in nobis affectiones correximus? Id. r. 1. hom. 11. in Gen.

Cum in lectum, hoc est, ad tranquillum portum, te coniecisti, nec ullus est, qui tibi molestiam exhibeat; dic cordi tuo, atque animæ tuæ: exegimus hodiernam diem, ò anima! quid boni fecimus? aut quid mali admisimus? ad gehennæ recordare: ut metu affectus bonum augeas; malum autem de medio tollas. Id. in Psal. 50.

Negotiator Secularis damna, & lucra quotidie computat; & si quidem damna perperit fuerit, ea reficere sollicitè studet. Sic etiam tu charissime serò facias, ac cures. Diebus singulis vespere, & mane, diligenter considera, quò pacto sese habeat negotiatio tua, ac mercimonii ratio. Ut vespere quidem ingressus cubiculum cordis tui, examina temeritatum, ac dicit: putasse hodie Deum in aliquo exacerbari? numquid verba otiosa protuli? &c. S. Eprehem ser. de vita religiosa.

Redi per considerationem ad cor tuum, quisquis, qui sapientiam, & prudentiam, cupis adipisci. Discute assidue teipsum; considera, unde venis? quò vadis? quomodo vivis? quantum quotidie proficis? quantum deficis? S. Laurent. Just. de prudentia c. 6. Lign. vit.

Habet iudex iste in manu stateram, in qua pendit inter duo pondera, unum meriti, & unum peccati. Prævide te homo: senti pondustuum, antequam veniens ille in sua statera te suspenderit. Considera statum tuum, & esto tibi ipse statera. Vide, quid plus est in opere tuo, aut quæ pars in actibus tuis exuberat? sinistra? an dextera? S. Laurent. Novariensis.

Prudentis est, officium, examinare cordis desideria; examinare verba, & prudentiam, cupis adipisci. Discute assidue teipsum; considera, unde venis? quò vadis? quomodo vivis? quantum quotidie proficis? quantum deficis? S. Laurent. Just. de prudentia c. 6. Lign. vit.

Utor hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum è conspectu lumen est, & contigit uxor, moris mei jam conscia; totum diem meum scrutor; facta, ac dicta mea rememoro. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. Quare enim ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: vide, ne sit amplius facta; nunc tibi ignosco. Seneca l. 3. de ira c. 36.

In Chinenium libris sigillatim commendatur continuum sui ipsius, actionumque suarum; ac præcipue earum, quæ in aliorum oculos non incurrunt, examen. Eam ob causam magni faciunt secessum ad villas, & loca solitaria. Quod nonnulli faciunt, ut diligentius vacent contemplationi luminis naturalis, & se ipsi reforment, revocando se ad primum statum; in quo, ut ipsi loquuntur, de cælo conditi sunt. Ex litteris P. Nicolai Longobardi An. 1598. ex China.

§. III.

Conscientiæ Examen particulare.

Quid faciemus, ut salvemur? aggrediamur virtutem, cum tempus habemus; distribuamus virtutes nobis, sicut sibi distribuunt agriculturam agricolæ. In hoc mense vincamus de tractiones, injurias, iracundiam, injustitiam, & dicamus: hodie ab hoc nos vicio corrigamus; in illo autem mense patientiam doceamus; & in alio aliam virtutem. Et cum hanc virtutem in habitu perceperimus, ad aliam transferamus. S. Chrysof. hom. 24. in ep. ad Heb.

Discebat Abb. Serapion: Unusquisque vitium, quò maximè infestatur, explorans, adversus illud arripit principale certamen; omnem curam mentis, ac sollicitudinem; erga illius impugnationem, observationemque, designans; adversus illud quotidiana jejuniatorum dirigitur jacula; contra illud cunctis momentis cordis suspiria, crebraque gemituum tela, contorquens; adversus illud vigilarum labores ac meditationes sui cordis, impendens; & impugnationis sue extinctionem ab illa specialiter, ac jugiter possens. Cassian. Collat. 5. c. 14.

Tritum est exemplum Senis in vitis Patrum: cui cum quidam quæretur, se vitis oppletum, ac proinde de eorum extirpatione desperare; justè ille, ut secum hortum quemdam carduis sentibus obtutum expurgaret. Quotidie igitur operi manum adhibendo sensim omnes extirparunt, hortumque plene intrâ paucos dies expurgarunt. Tum senex ad juvenem: fac, inquit, ò fili similiter in agro animæ tuæ: quotidie aliquid vitium extirpa; idque

que constanter urge, & continua: ita sensim omnia evelles, & animum primævo nitore restitues. Cornelius in Prov. 24.

TITULUS XI. EXEMPLUM.

§. I.

De bonis, & malis in genere.

Quales erant virgæ, quas Jacob. Gen. 30. 39. In aquis ostendit; tales illæ concipiebant foetus: quia subditi sequuntur exempla majorum sive bona, sive mala. Stella p. 1. c. 25.

Præcedente columna Israel procedebat; sed quando stabat quæta, populus quoque quiescebat. Ex. 33. 10.

Compelle intrare. Luc. 14. 23. Cogis exemplo facti tui: facta enim Superiorum non tam invitant, quam cogunt, subditos ad imitationem. Cajetanus.

Ut hirundines veris, flores fructuum, nuntii sunt; sic de heri moribus ex ancillis judicari potest. S. Gregorius Naz. advers. mul. ambitiosus se ornantes.

§. II.

Exempla bona.

Num. I.

Figuræ, Symbola, & Similitudines.

Ex Veteri.

Fecitque Deus duo luminaria magna. Gen. 1. 16. Cur Luna ponitur inter luminaria magna? cum omnium, & excepto Mercurio, minima sit? Nimirum vulgi æstimatione: oculorum enim iudicio ob propinquitatem, maxima omnium post solem videtur. Sic non vulgi tantum, sed Dei etiam, iudicio illa virtus plura habetur, quæ lucet coram hominibus, qui videntes opera nostra glorificant Patrem nostrum. Fernandus hic. sect. 6.

Quemadmodum Jacob, cupiens suas oves concipere agnos maculosos, apposuit virgæ decoratissimas, quæ varios facerent colores, ut oves eas aspicerent tempore conceptus. Gen. 30. 37. Ità Christus Dominus noster posuit in Ecclesia sua multitudinem Sanctorum in omnibus statibus; ut ejus Electi in suis actionibus concipiant opera iis similia. Justorum enim, ut Ezechiel de mysticis suis animalibus, dixit, aspectus sunt quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. c. 1. 13. De Ponte de perfect. hom. Christi. t. 2. c. 11. §. 2.

Ignis in altari semper ardebit. Levit. 6. 12. quem nutrit sacerdos. S. Gregor. l. 15. mor. c. 7. Altare Dei est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere: quia necesse est, ex eo ad Dominum charitatis flammam indehementer accendere. At quæ ligna? subjicit idem: quasi quedam fomenta igni dare, est in excitatione charitatis exempla Patrum ministrare.

Convide, fili mi, mel, quia bonum est &c. Prov. 24. 13. nosse P. Alvarez de Paz. l. 4. de dignit. perfect. p. 3. cap. 38. per mel, & favum, accipit sancta virtutum exempla: Vita Patrum nostrorum, inquit, est mel; quia ejus memoria suavissima est, & sapor, sive imitatio dulcissima.

Flores apparetur in terra nostra. Cant. 2. 12. Flores exempla Sanctorum. Hugo Cardin. hic. Invenitur viri virtutum tanquam ligna fructifera in horto sponis, & in paradiso Dei: de quorum bonis actibus, ac moribus, quot sumis exempla, tot carnis poma. S. Bernardus l. 23. in Cant.

Offende mihi faciem tuam. 2. 14. id est, offende filiis meis, quos tibi commisi, bonum exemplum de te, bene vivendo. S. Thomas hic lect. 2. Quæ in abdito secreta quietis, quasi columba in foraminibus petræ, delitescere cupis; precor, ut in publicam actionis procedas, ostendatque ex operibus fidem tuam; & quid intus plenitudinis habeas, aliis etiam foris in exemplum declares. V. Beda l. 3. hic.

Surgam, & circumibo civitatem. Circuit cogitatione conventum bonorum; & in eis exempla melioris vitæ, & virtutum documenta capiat. Per humilitatem enim reputat sibi esse virtutum ornatum, & cordis munditiam, per quæ sponsum invenire meretur: domum mentis, quamvis vacante à vitis, sed minus ornata virtutibus indicans. Quam ut decentius ornent, Sanctorum virtutes circumiens, & peralutans, & specialem gratiam uniuscujusque explorans; & ab alio humilitatis, ab alio patientiæ; ab alio obedientiæ; ab alio abstinentiæ; ab alio charitatis, ab alio puritatis, flores decerpens. Richar. à S. Vict. hic.

Comedite, & bibite &c. Cant. 5. 1. id est, Sanctorum bonis actibus congaude, & illos vobis ad imitationem proponite. S. Thomas hic.

Quam pulchra sunt gressus tui. Cant. 7. 1. Quid sunt calcamenta Ecclesiæ, nisi exempla præcedentium Patrum, quibus in via Mundi hujus munitur; ut per omnes tribulationes, quæ exurgunt, confidenter calcata gradiatur. S. Gregor. hic.

Via Sion. Thren. 1. 4. sunt Sancti, dantes exempla vitæ. S. Bonav. hic.

Aspectus eorum quasi carbonum ignis. Ezech. 1. 13. Quia sancti viri, dum quosdam juxta se positos juxta tagendo ad amorem patriæ cœlestis accendunt, carbones sunt. S. Gregor. hom. 5. hic.

Fili hominis, ostende domui Israel templum; & confundantur ab omnibus iniquitatibus suis &c. Ezech. 43. 10. Præcipit Dominus Ezechiel, & Prædicatoribus, proponere, & ostendere, populo Dei templa illa magnifica Sanctorum; ut videant eorum vitam, & conversationem, S. Thomas Vill. conc. 2. de S. Joan. Bapt.

Ex Novo.

At illi continuo relitit vitibus secuti sunt eum. Matth. 4. 20. Utrpiscatores sunt, vocantur; & tamen abijcunt retia Apostoli. Numquid sine retibus itis piscatum? Equidem piscatorum homines, relinquat retia, solis utatur manibus: nam operum exemplo homo capitur. Licet murus fias, licet solam bonis operibus manus applices; proculdubio eris homines capiens. Bæza t. 2. lib. 6. c. 1. §. 25.

Cum jejunas, unge caput tuum. Matth. 6. 17. Ungi postulat & à nobis; ungi Christum, qui bonus ejus odor est in omni loco. S. Bern. l. 1. in capite jejunii.

Novus lignum semen feminæ? Matth. 13. 27. Semen bonum, id est, triticum, viri probi sunt. S. Ignatius M. frumentum Christi sum. Dicuntur semen: quia; seminis instar, alios sibi similes producant, exemplo, & verbo. Baradius t. 2. l. 9. cap. 3. Dom. 5. Epiph.

Lucernæ ardentes in manibus. Luc. 12. 35. In manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. S. Gregor. hom. 13. in Evang.

Calcamenta in pedes ejus. Luc. 15. 22. Pedes calcantur exuvias animalium: quia exemplis præcedentium Patrum muniuntur. S. Amædeus hom. 2.

Dans illa manum, erexit eam. Act. 9. 41. Contacta manu Petri Tabitha resurgit: quia languescens anima peccatis nullo melius ordine, quam Sanctorum exemplis, convalescit. V. Beda hic.

Libri aperti sunt. Apoc. 2. 20. 12. Justorum debemus vitam conspiciere, ut subtiliter deprehendamus nostram. Illos videlicet species, quasi quadam forma nobis imitanda proponitur. Quia viva lectio est vita bonorum, unde, & non in merito, sedem iusti in sacro eloquio libri nominantur. S. Greg. l. 24. mor. c. 6.

Ex Patribus.

Beatorum virorum vitæ litteris traditæ, velut imagines quadam vivæ; divina Republicæ, ad bonorum operum imitationem propolite sunt. S. Basilus epist. 1. ad Gregor. Nazianz. Et paulo post: quemadmodum pictores, cum imaginem ex imagine pingunt, frequenter ad exemplar respicientes; lineamenta exinde ad suum officium transferre contendunt; sic oportet eum, qui studet seipsum omnis virtutis partibus perfectum efficere, ad sanctorum hominum vitas, velut ad statuas nobiles, & actuosas, oculos intendere; atque illorum bona per imitationem sua facere.

Nox est vita præfens; sol justitiae Christus: qui tamen, nostra per omnia salutis memor, nequaquam noctem vitæ hujus proflus obscuram reliquit; sed, velut in cælo stellas figens, Sanctorum nobis exempla, per quæ inoffenso pede nostri operis incederemus, proposuit. V. Beda l. 4. in Cant. 4.

Succinum. Lem. Non vi, sed virtute. Picinelli. Panthera suavitè gratie attrahens feras. Lem. Allicis amnes. Vel. Non vi; sed gratia.

Pisces minores sequentes majorem. Lem. Sic tua nos virtus, Aloyfus Estenf. Card.

Num. II.

Bonorum Exemplorum vis, & efficacia.

Ex Veteri, & Nova.

In dextera ejus ignis lex. Deut. 33. 2. non in lingua.

Trabe me, pisi te curremus in odorem unguentorum tuorum. Cant. 1. 3. Sponia indiget trahi; adolescentulæ non indigent? O pulchra! ediffere nobis hujus distinctionis rationem. Numquid majorem charitatem adolescentulæ habent, ut ipsæ non indigeant trahi; sed sola sponia? Non curram ego sola; est folam me trahi petierim: current adolescentulæ mecum. Curremus pariter: ego odore unguentorum tuorum; illæ meo excitat exemplo, atque hortatu. S. Bern. ferm. 21. in Cant. Cur non dixit: trahere nos post te, curremus? omnes enim egent excitandi gratia. Ipsa sola attrahit; & omnes excitantur ad cursum, exemplo unius excitatæ. Arcones in If. 2. Disc. 3.

Fuge dilectè mi. Cant. 8. 14. Exemplo celeritatis, & alacritatis, ad cælum sibi præcurrere Dilectum optat sponia. Hortatur, ait S. Ambros. l. de bono mortis c. 5. quia jam sequi potest etiam ipsa terræna fugientem. Mendoza in l. Reg. 3.

Vadant







petum. Eva vero Ada solo exemplo, nullo verbo facto, statim persuasit. Eva saltem, aliquandiu resistit serpenti, minime vero Adam Evæ. Paoletti D. 20. Pent. Non suaderi jam opus erat viro, quando eam illo cibo mortuum non esse cernebat. Et Eva ipsa, ex hac divina patientia prorepsit ad tentandum virum. S. Aug. t. 11. de Gen. ad lit. 30.

Ecce mulier una sedens in medio amphora; & dixit: hæc est impietas. Zach. 5. 7. 8. Ubi dominatur impietas, mox alliciet plures: v. 9. Ecce adu mulieres egredientes; & habebant alas. Citò advolant ad augendam impietatem. Velloso in Judit. 7. par. 4.

Unus est servus, qui Petrum urget. Luc. 22. 58. Post pusillum: accesserunt, qui stabant, & dixerunt Petro. Matth. 26. 73. Unus traxit exemplo plures. Maldonatus: credendum est, cognato illo servo incipiente alios subsecutos fuisse. Id. ib.

Quare, hoc unguentum non venit etc. Jo. 12. 5. Et ecce Matth. 26. 8. videntes discipuli indignati sunt. Juda contra mulierem ducit, reliqui Apostoli irritati. Lyra.

Num. II.

Mala exempla Superiorum sequuntur subditi.

Erant peccatum puerorum grande nimis: quia retrahantur homines à sacrificiis Domini. 1. Reg. 2. 17. Deus tam argere fert alienas injurias, præsertim quæ in damnum cedunt spirituale animarum; ut de illis potius, quam de suis, conqueratur. Unde Sacerdotum peccata exaggerari vult; non tam ex eo, quòd divinum honorem, & cultum, violabant; quam ex eo, quòd homines à Sacrificio Domini retrahebant. Mendoza hic.

Cumque roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum; dereliquit legem Domini, & omnis Israel cum eo. 2. Par. 12. 1. Similiter de Sedecia 2. Paral. 36. 14.

Erant signa in sole, Luna, & Stellis. Luc. 21. 25. An non sufficit, signa esse in sole; ut in Luna etiam ea apparere sic necesse? Nempe, sole obscurato, obscuratur & Luna, ac stelle deliquium patiuntur. Quando igitur optimates in timore, & cultu DEI, defectum, faciunt; inferiores, & subditos eandem experiri necesse est. Bessius D. 1. Adv.

Perussa est terra pars solis etc. Apoc. 8. 12. Cur à stellis non incipit? Per solem prælati intelliguntur; quia non ex inferiorum lapsu sequitur ruina; sed ex horum illorum. Dionysius Carthus. hic.

Oculi est terra pars hominum de igne, & de fumo, & sulphure. Apoc. 9. 18. idest, de igne avaritiæ, fumo superbiæ, sulphure, idest, fetore luxuriæ. Subdit v. 19. quòd potestas eguorum in ore ipsorum est. Scilicet principum præcipientium, aut suadentium; sive exemplis post se trahendo. Et ideo subdit: & in oculis eorum, idest, exemplis. Gemiani similitud. l. 7. c. 6.

Sicut exemplari uno apud Typographos vitiatu omnes deinde libri, qui per illud excuduntur, vitiatu plurimi prodeunt; ita unus superioris vitium totius fit populi officiculum. Diez Prælati.

Muli domini, ut famulis sunt stipati, ita comitibus vallati infernum intrant; multos, quibus exemplo suo fuere scandalo, post se trahentes. Stella p. 1. c. 26.

Exiguus rivus, dum exundat, parum nocet: at rapidus fluvius pontes, hortos, domos, molendina, abripit, & plurimum damni infert. Lapis exiguus de monte decidens mox ubi recidit, consistit; & vero ingens à rupe abruptatur, magnam lapidum acervum, ipsaque arbores, secum trahit. Horologio perverse incidenti; non illi, nec rotis ejus, sed directori causa adscribitur; sicetores, & culpe populi, culpe sunt prælatorum. Id. ib.

Caprum ex ponte disilientem grex sequitur. Lem. sic ducit urgeat amor. Dux caper ipse gregis. Carolus Bovius.

Num. III.

Testimonia & Exempla.

Ex Veteri.

Qua respondit: serpens decepit me. Gen. 3. 13. En vis mali exempli excusantem se, & Dei consilia fugillantem, virum mulier imitatur. Fernandus hic sect. 29.

Armiger Saulis, videns Dominum suum irritasse super gladium suum, irritat etiam & ipse super gladium suum. 1. Reg. 31. 5.

Filius, qui natus est tibi, morte morietur. 2. Reg. 12. 14. B. Theodoretus: ideo Deus occidit filium David, ut pariter extingueretur malum exemplum, quod per adulterium exhibuerat populo Dei.

Jeroboam rex Israel post se traxit ad idololatriam totum populum. 3. Reg. 12. 11.

Omne caput languidum etc. If. 1. 5. 6. Si caput fuerit infirmum, totum corpus languidum erit. Innocentius P. III.

Nabuchodonosor erigit statuam auream adorandam. Dan. 3. 2. Et quos primo inducit ad idololatriam; & principes. S. Hieron. Seductis enim magistratibus subditi populi majorum exemplo male peragunt.

Exiit ex eis radix peccatrix Antiochus. 1. Machab. 1. 11. S.

Gregorius 1. p. past. c. 2. cum pastor per abrupta gradiatur; consequens est, ut ad præcipitum grex feratur.

Ex Novo.

Turbatus est rex, & omnis Jerusalem cum eo. Matth. 2. 3. Principes Sacerdotum, & Seniores, persuaserunt populo, ne perirent Barabam. Matth. 27. 20. & ita omnes una voce clamant Barabam. Scilicet ad majorum voluntatem populus movetur. S. Paschasius l. 12. in Matth. quid in hoc dicam? nisi quia peccata omnis iniquitas, & prævaricatio plebium à principibus est populi; quorum excitatur malis ad omne peccatum; quorum velle, quorumque nolle, omnes considerant, & sequuntur. Sylveira in Jo. 4. q. 9.

Non licet tibi. Marci 6. 18. Cur Joannes Herodem tantum; & non Herodiadem, arguit? quia ipse rex; & inferiores semper appetit ejus servituri, Sylveira in Jo. 3. q. 9.

Et nemo ei habet. Luc. 16. 21. Cum dominus familie effectus avarus, omnes ejus servi avaritiæ studebant; ut nullus ex eis pauperi vel micam daret. Sylveira hic.

TITULUS XII.

EXERCITIA SPIRITUALIA.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Opponens capiti suo etc. Gen. 28. 11. Jacob durum sibi sternit lectum, scilicet lapidem: quia coeli aulicos durus lectus, durus victus, omnia dura, decent. S. Ambros. l. 2. de Jacob: in somno bonus operarius: quia cum DEO plus negotii dormiendo peregit, quam vigilando. Cornelius hic.

Moyseis tacendo loquebatur. Ex. 17. 11. & otiosus operabatur. Sedens in otio dimicabat, & triumphabat. Erat tam otiosus, ut alii manus ejus sustinerent; & tam occupatus, ut manibus otiosus vinceret. Crudelius bellum inferrebat Amalecitis confidendo, quam alii Israelitæ in campo manus conferendo. Stella p. 3. c. 6.

Insilient in te spiritus Domini, & mutaberis in virum alium; 1. Reg. 10. 6.

Numquid non Sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam in summis, & excelsumque, verticibus etc. Prov. 8. 1. 2. Prius delegit montium juga, postea declinavit ad semitas. Civitatis portæ appropinquavit, nec ingressa est: quasi paveret in se tumultus agmina, & varia occupationum dispendia. S. Cyrillus ad Habac. cap. 2. in exercitatione mea, & consuetudine mea, excubabo; animum rursus purgabo, cuius mundanis exolvam. Surfum volabo in stabilitatem, & securitatem cogitationum; illinc speculabor, quæ Deus mihi locutus fuerit. Naxera in Jos. 13. s. 50.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Cant. 5. 2. Somnia sunt vigilie dormientium; spes autem somnia sunt vigilantium: quod Platoni tribuit Aelianus l. 13. de var. hist. Aristoteli vero Laertius l. 8. c. 1. S. Augustin. tr. 57. in Joan. quid est, ego dormio, & cor meum vigilat: nisi, ita quiesco, ut audiam. Otium meum non impeditur nutriendæ desidæ, sed percipiendæ Sapientiæ. Vaco, & video, quoniam tu es Dominus: quia sapientiam scribo in tempore otii. Ego quiesco à negotiosis actibus; & animus meus divinis intendit affectibus. Cornelius hic.

Sapientiam scribo in tempore vacuitatis. Eccl. 38. 25. Rabanus, Janentius, Lyranus, S. Augustin. legunt: Sapientiam scribo in tempore vacuitatis, q. d. Sapientia Doctoris S. Scripturæ, vel Sapientis cuiusque, in tempore otii litterarij; quæ ab aliis negotiis vacat, quærenda, & comparanda est. S. Bernardus l. 85. in Cant. Sapientiam scribere in otio, ait Sapiens: ergo sapientiæ otia, negotia sunt; & eò otiosior sapientia, quòd exercitator in genere suo. Hugo: Studium Sapientiæ, est studium vitæ contemplativæ: hæc enim requirit otium, & mentem vacuum ab omni cogitatione, & cura terrena, maxime carnali. Huc facit proverbium Arabicum centur. 1. n. 9. obstrue quinque fenestras, ut luceat domus, & habitans eam. Cornelius hic.

Gallina ovis incubans. Lem. Er chobans operatur. Otiosum non est, vacare DEO; sed negotium negotiorum omnium. S. Bernardus ad PP. in monte Dei. Picinelli. Bombyx. Lem. Mutatus exiit. Id. Lebes clausus. Lem. Clausus magis astat. Id.

§. II.

Motiva.

Ligatur tibi opportunus, & aliquantum à familie strepitu remotus, locus in quem tu, velut in portum, quasi ex multa tempestate curarum te recipias; & excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas. Tandem tibi fit diviniæ lectionis studium, tam crebra orationum vice tam pressa, & firma, de futuris cogitatio; ut omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses. S. Hieronymus ep. 14.

Animæ

Animæ quousque partem da; non carnî solam: DEO quoque partem da; non Mundo soli. Ex ventre quiddam subtrahæ, & spiritui collecta: ex igne quiddam eripe, ac procul è depauperata flamma secunde. Ei, cuius beneficiâ plura habes, aliquid dato; imò etiam ei, qui omnia largitus est, universa opes dato. S. Gregorius Naz. or. 27. de pauper. amore.

Illis saltem diebus, qui nobis sunt ad saluberrima remedia proficuiti, mundanis nos occupationibus subtrahamus; & aliquid temporis, quod proficit ad bona æterna, furemur. S. Leo l. 3. de jejun.

Demus DEO aliquid temporis vitæ nostræ; nè totam diem infelix ista vanitas, & sollicitudo miseranda, consumat. -Vigila homo, vigila: habes exemplum; ut quod tibi gallus

impedit hospiti, & tuo exhibeas Creatori. S. Chrysol. f. 2. r.

Quidam ex instituto factis feris & efficacibus propofitis sequendi Dei voluntatem; eum in finem per dies aliquot se à negotiis mundanis abstrahunt, ut animas suas diversis exercitiis spiritualibus, è gravi tepiditatis somno, ad opera charitatis præstanda, exsuscitent; nec non ad anteriorem vitæ reformationem faciendam inflamment, inducantque. Quod familiare, & sacrosanctum fuit primis Christianis: sed deinde refrigerente paulatim charitate in cordibus posterorum neglectum fuit; usque dum magnus DEI servus S. Ignatius S. J. Fundator Patrum nostrorum tempora in usum reduxit, & revocavit. S. Franciscus Salef. de div. amore l. 12. c. 2.

Vide tit. Oratio mentalis. Recollectio. Renovatio.

F.

TITULUS I.

FAMA.

§. I.

Symbola, & similitudines.

Precepit Deus Noe Gen. 6. 14. ut Arca intus, & extra, bitumine liniatur: ut & intus munda conscientia splendeat; & foris sancta conversatio hominibus placeamus. Stella in Luc. 11.

Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Gen. 27. 27. Fragrantia bonæ opinionis, quæ omnia merentur benedictionem æternæ retributionis. Hugo Card. hic. Multum Jacob præfiteri, ut paternam benedictionem aucciperet; hoc dum attulerat, coxerat &c. Sed maxime odor bonus benedictionem paternam elicit. Pinna in Eccl. Ethol. 190.

Peperit quoque Zelpha alterum, dixitque Lia: hoc pro beatitudine mea. Gen. 30. 12. Beatam quippe me dicens mulieres. Zelpha Lia, serva dominæ; peperit filium, quem vocavit Aser, idest, beatitudinem. Subdit: beatam me dicens: quia non satis est operari bonum; sed insuper tales ab aliis haberi. Curandum de bono nomine. Id. Ethol. 190.

Fundetque super eam oleum, & ponet thus. Levit. 2. 1. Oleum charitatem; thus bonæ famæ significat odorem. S. Rupertus lib. 1. hic.

Si videri solem, cum fulgeret; & Innam incendentem clarè. & osculatus sum manus meas er meo etc. Job. 31. 26. 27. Sol, bona opera; luna, fama ex ipso bono opere; osculari manus, sibi attribere. Hugo Card. hic.

Qui maledixit patri suo, & matri; & extinguat lucerna ejus in medijs tenebris. Prov. 20. 20. Lucerna est Symbolum excellentiæ, famæ, & gloriæ. Unde vulgo dicimus, aliquem offecere luminibus alterius, dum ejus famam, & gloriam obsecrat. Cornelius hic.

Ecce in pulchra es amica mea; ecce in pulchra. Cantic. 1. 14. Pulchra est, mundissimam Deo conscientiam exhibendo: pulchra est, inimicis, & alienis à fide Christi, irreprehensibilem conversationem monstrando. Aponius hic.

Ego, quasi vitis, fructificavi suavitatem odoris; & flores mei fructus honoris, & honestatis. Eccl. 24. 23. Vide, quomodo Sapientia odorem suum in fructibus reputat: odor enim quidam fructus est: odor eorum cibi gratiam tenet, ipsa fragrantia pascit. Gilbertus l. 27. in Cant. Siuavitatem conscientiæ, & odorem bonæ famæ. Hugo Card. hic.

Domus impleta est ex odore. Jo. 12. 3. Domus impleta est bona fama: nam odor bonus, bonafama est. Sanctus Augustinus tr. 50. in Joan.

§. II.

Habe curam famæ.

Motiva

Num. I.

Exemplum Christi.

Ego flos campi etc. Cant. 2. 1. Præmiserat sponsa in laudem sponsi Cant. 1. 13. flos campi etc. Botrus suavem gustum habet, non suaveolentiam. Laudat ergo sponsa præclara opera sponsi, immemor præclare famæ; quam corrigit sponsus adiciens: ego flos campi; bonus odor sumus. Pinna in Eccl. Ethol. 190.

Quem dicunt homines esse Filium hominis. Matth. 16. 13. In multis instruitur, ut simus solliciti, quid de nobis dicatur: ut si malum, quod corrigamus; si bonum, conservemus, & multiplicemus. S. Thom. hic. Sciebat omnia; & percontatus tamen

est: ut doceret, famam propriam non spernere. Stella part. 1. cap. 12.

Ecce duo caeci audierunt, quia Jesus transiit. Matth. 20. 30. Alii Domini auxilium poscebant, quicum viderant; hi autem solum ex auditu. Quia alii allicuntur ex bonis operibus, quæ vident; alii ex bono nomine. Ità vivendum, ut etiam caeci loqui possint ex narratione aliorum de bona vita. Hugo Card. rosa, antequam videatur, sentitur: caeci, antequam viderent, fenserunt DEI fragrantiam. Pinna in Eccl. Ethol. 190.

Dixerunt, quod Jesus Nazarenus transiit. Luc. 18. 37. Nazareni, idest, floridi odore excitati sunt caeci, qui opera videre non poterant. Cui aliorum cura est, non modo vocari studeat Jesus, idest, Salvator, per bona opera; sed etiam Nazarenus per bonam famam: utrumque si habet, facile cæcos illuminabit. Pinna in Eccl. Ethol. 190.

Num. I. I.

Exempla alia.

Uspuquid ebria eris? Nequaquam Domine etc. 1. Reg. 1. 40. Multam adhibet curam, nè à Sacerdote malum referat opinionem. S. Chrysol. hom. de fide Annæ.

Erant hæc in omnibus famossissima: quoniam timebat Dominum valde; nec erat, qui loqueretur de ea verbum malum. Judith 8. 8.

Oculus sui caeco. Job. 29. 15. ut famam suam defenderet. Nam ei amici objiciebant, malorum causam peccatum c. 4. 5. 7. nunc venit super te plaga.

Curam habe de bono nomine. Eccl. 41. 15. DEO autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo JESU, & odorem nostris sua mansuetudo per nos in omni loco. 2. Cor. 2. 14.

CHRISTI bonus odor sumus. 2. Cor. 2. 15. Comparatæ cum his, quæ odoratu percipimus, non quæ visu. Nam ut oculis aliquid videamus, necesse est, ut luminis illustretur; & ut is, qui videt, oculos aperiat. At ea, quæ manibus excipiuntur, etiam per tenebras, & nolentibus nobis, sese ingerunt: quia ea est natura actuum nostrorum, ut, vel nolentibus in publicum se proferant. Pinna in Eccl. Ethol. 244.

Num. III.

Motiva varia.

Ignorabat, quod cornuta esset factus sua ex consortio sermonis Domini. Ex. 34. 29. Cur non resplicebat mutans Nilum in sanguinem, percussens mare; &c. cur splendoris majestas eousque dilata est, dum Israelitæ liberi? quia emendaturus mores, legem promulgaturus; ideo in cœlestem virum conversus, duas tabulas ferebat, & duo cornua. Oliva tom. 3. conc. 1. in Festo Sancti Ambrosii.

Exiit David arma Saulis, 1. Reg. 17. 40. quæ induerat; & pastorem ornatum assumpsit. S. Chrysolom. in Psalm. 50. Saul ei arma porrexit; verum David ea minime gestare poterat. Quam ob rem? nimirum DEUS minime permisit; id scilicet agens, ut nudus victoriam adipisceretur: ne armaret feliciter gestæ, ac victoria partem sibi vendicarent; rexque armis suis victoriæ partem adtriberet. q. d. DEUS integram præclari facinoris laudem servo suo David reservavit. Nam multum tueret, & honorem curat, ac famam servorum suorum. Pinna in Eccl. Ethol. 244.

Sic luceat lux vestra coram hominibus etc. Matth. 5. 16. Ad eò DEUS famam, & æstimationem Servorum suorum æstimat, ut numquam in Scriptura suadeat, ut quis sui causa ho-